

certas periodos patiente dolores ventriculi, in colloquio dicta Anno 1545. Aprilis 29.

NE repetam ea, quæ à singulis explicata sunt, vnum proponam, cuius ratione vocati sumus. Patitur dolores periodicos circa os ventriculi acutissimos, cum sæuissimis accidentibus, vt dicemus. Ille dolor est symptoma, ergo pendet ab aliquo morbo, qui inquirendus est vnà cum suis causis. **Sunt autem tria inquirenda, morbus, symptoma, & causa.** Incipiamus à morbo, nam symptoma satis patet: est enim dolor sæuissimus. **De morbo igitur querendum, an pendeat à materia, an sine materia sit, & an sit aliquid in ventriculo vitij, quod sine materia possit facere dolorem, an fiat propter materiam.** Dico, quod pendet à materia, quod quidem multa arguunt. Primò audiuitis, cum eam occupat dolor, eiectionem esse materiam per vomitum, & ita liberatam. Item supprimitur aluus ante dolorem, & post illam suppressionem materiam, sequitur dolor. Item, quando habet sua menstrua debita, libera est: & (vt vno verbo dicam) quando habuit euacuationes aliquas, fuit libera ista nobilissima domina per totum quinquennium, quando laborauit scabie manuum, quia per eas euacuabatur materia, sicut & per duritiem mamillæ: & in summa, quocumque modo euacuata fuit materia, semper fuit incolumis. Quandoq; eiecit multum per scrotum, & per destillationes, quibus etià fuit leuata. Est ergo iste morbus materialis. **Quæ verò materia, quæ fecit morbum & dolorem?** Credo esse pituitosam. Dico autem pituitam, & eam, quæ in ventriculo generatur, & eam quoq; quæ in cerebro, & facit destillationes, & propter similitudinem pituita dicitur, quia humor est frigidus & humidus. **Huius rei signa sunt.** Primò, quia talis materia per destillationem fluit. **Secundò, tempore vomitus etiam eiecit huiusmodi materiam.** **An verò sola sit pituita, an verò admisti alij humores sint?** Respondeo, non parum succi melancholici admistum esse, idq; ideo iudico. Primò, quia ante dolorem semper insignem famem sentit, ex qua intelligit venturum dolorem. Sed fames non generatur principaliter ex pituita, vt Galenus 6. de Vsu partium, vbi de vsu succi melancholici loquitur, ait eum incitare famem, non ob frigiditatem, sed ratione corrugationis, quia austerus est, & facit corrugationem. Ita aciditas pituitæ non tantum ex ipsa pituita est, in hac nobilissima Domina, sed ex adustione humoris melancholici. Est enim quædam species pituitæ, quæ **accessit** commistione humoris melancholici, quam etiam Auicenna refert. **Secundò quoq;** quia circa regionem lienis apparet tumor, qui vel nunquam, vel rarò delitescit. **Tertiò temperatura, & totius habitus corporis calidus, & siccus:** generat igitur multum melancholiæ in hac sua ætate paracraftica, seu potius in descensu, in quo præcipuè melancholia dominatur. **Quartò animi accidentia,** quibus valde & continuè molestatur. Incidit etià in maximos terrores, cum vidit virum in armis, & periculis versari. Nec mirum etiam, si hac vltima causa sublata, tamen permaneret dolor & tumor,

A quia reliquæ iam corporeæ causæ permanent & perseverant. Hos igitur humores arbitror notandos, pro iis, quæ affligunt nobilissimam hanc dominam. **Nunquid autem morbus in ventriculo incipiat per essentiã, an ibi sit per consensum?** Certum est, partim per essentiã in ventriculo, partim non ex primogenio affectu ventriculi, sed cerebro esse, & quidem id primum esse affectum existimo. Cœpit laborare primò, ob noui velaminis facti ex iuncis gestationem, quo humectatum est caput, & postea cœperunt destillationes, nec cessauerunt, donec facerent dolorem ventriculi. **Sed quæ causæ destillationis, cur ex gestatione velaminis excitatus catarrhus?** **Primò dicendum de temperatūra cerebri,** quam ego existimo quoad qualitates passiuas, & nunc, & antè siccam fuisse. **Sensus enim excitatissimi & interiores & exteriores, id ex siccitate, vt Galen. ex Heraclito refert in lib. Quod animi mores, & spiritus siccus anima prudentissima: ergo siccitati debetur prudentia.** **Intelligo autem non siccitatem carbonum, sed talem, qualis conuenit humano cerebro.** Humiditas enim obtundit, ideo pituitosa capita sunt obtuso ingenio. **Ex forma, facies est optimè figurata, & bene formata & expressa, id siccitati conuenit, sicut humida temperatura omnia confundit, & facit bacchos.** Præterea neq; collum plenum & robustum, sed gracile & omnia bene figurata. **De caliditate & frigiditate dubiū est iudicium:** quia ab vtroq; pariter læditur, nec circa ea quæ apparent, facile aliquid colligi potest. Credo etiam non esse talem aliquem excessum in actiuis, neque fuisse etiam. Sed si quis nunc est, euenit ab aliis causis, & ex congestamine. Prius nihil excrementorum habuit, ergo valde sicca. Et primò caliditas fuit moderata, sed nunc puto totum corpus calidum & siccum. **In hepate credo plus esse de calido, quàm de frigido.** Sed longè plus de sicco, quàm humido. **In corde caliditas & humiditas fortè æqualis, quod colligo ex operationibus, quia irata placatur facile.** Talis autem temperatura, in qua excedit siccitas in corde, etiamsi non sit nimia caliditas, illi non facile placatur. Deinde sanguinem generat subtilem, & vaporosum, & ideo prudentiores sunt tales, facileq; alterantur à quacumque causa extrinseca. Habent etiam mollem carnem, & texturam raram, ita vt quiduis facile euaporare & transpirare possit. Dum sana erat, exercebat se, & viæ erant apertæ, & expirabant superfluitates: postea propter raritatem exercitij, aucta excrementa, & retenta, prohibentq; transpirationem. Vidi plurimos, & ego quoq; sic portauit, quod cooperiunt totum caput, & maximè futuram coronalem, propterea incidere in catarrhos. Vbi igitur cœpit defluxus fieri, & retineri vapores, membrum seipso reddatum debilius est, quia excrementa suffocant calorem ita tenuem, & euaporabilem, & affuefit membrum ad recipiendū, & debilitatur ab excrementis, quæ excernere nequit. Impingitur materia in foraminibus cutis, & ita generatur catarrhus. **Causa igitur defluxionis non est adueniens noua caliditas, vel frigiditas, sed illa detentio vaporū, quæ postea ad fauces descenderunt, vbi diu hæserunt, sicut bolus: quod ipsa etiam sensisse se ait, à quo liberari**

accessit